CORONA CHRISTIANITATIS

in

SERENISSIMO ac INVICTISSIMO PRINCIPE

AUGUSTO II.

Dei Gratiâ

POLONIÆ REGE ORTHODOXO,

Magno Duce Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czernichoviæqve, Hæreditario DUCE SAXONIÆ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Angriæ & Vestphaliæ, S. R. I. ARCHIMARESCHALLO & ELECTORE, Landgravio Thuringiæ, Marchione Misniæ, nec non Superioris & Inferioris Lusatiæ, Burgravio Magdeburgensi, Comite Principe Hennebergensi, Comite Marchiæ, Ravensbergæ & Barbii, Domino in Ravestein, &c. &c.

inter faustas Regnorum comprecationes, atq; festivos populorum plausus,

CORONATO,

ad Ecclesiæ militantis subsidium, terrorem hostium, Poloniæ tutelam & ornamentum,

Cœlo Auspice

DESTINATA.

à

Devotissimo & Subjectissimo S. R. MAJESTATI

Collegio Varsaviensi Societatis JESU

Stylo Panegyrico

DEMONSTRATA

Anno post Coronatum in Carne Verbum 1697.

Torunii, Imprimebat JOANNES BALTHASAR BRESLER.

Æris CORONA GLORIÆ in manu Domini, & Diadema Regni in manu Dei Tui.

Isaiæ 62. v. 3.

SERENISSIME ac INVICTISSIME
REX,
Domine, Domine Clementiſſime.

Actum agimus, dum Coronato Capiti Tuo CORONAM offerimus. In eas ſcilicet nos Tuæ Majeſtatis Amplitudo conjecit anguſtias, ut nihil proferre liceat, quod antè non poſſederis. Cæſarum ſolia, Regum diademata, Electorum purpuræ, Antiſtitum tæniæ, tiaræ Principum ac Ducum clavæ, quin & Romanæ Sedis triregna nihil habent proprium, quod olim SAXONICO Sanguini non fuerit commune. Ipſa hæc, quæ Te nihil minùs, quàm Regnum, cogitantem veſtigavit Corona Lechiæ, nihil inſolitum in Domûs Au-

gustæ penetralia invexit. Eò videlicet Coronarium Decus Sarmaticæ Majestatis rediјt, unde primùm OTHONIS III. manibus in sinum Poloniæ devolutum audivimus. An ergo plùs Regnis & maximis valeat Imperijs minima Societas? Parvitatem hæc suam agnovit semper; nunc tamen advertit magìs, dum constitit ante Maximum. Si Tuæ par quidquam Magnitudini, aut tantæ non visum Majestati adferremus; felicitatis nostræ commendaremus amplitudinem, non Coronatæ fastigium Dignitatis. Nunc ubi suppar AUGUSTO nihil, nihil novum cumulatissimæ donis omnibus Fortunæ Tuæ dicare licet, nostra tenuitas Tuorum prodit immensitatem Decorum, umbræ nostræ commendant Solem. Diversam equidem, à Regio Diademate, CORONAM, Tibi destinavimus. Verùm & hanc Serenissimis priùs Virtutibus in Magna Mente Tua effinxisti, quàm nostra in paginam transtulisset Panegyris. Tu nempe Christianorum priùs coronâsti vota, quàm Tua coronarentur merita: Tu priùs solicitæ Religionis exæquâsti desideria,

deria, quàm Tuæ ſuppar aliquid cogitaremus Virtuti: Tu auctâ per Lunæ Othomanicæ deliquium, Occidentis luce, ità Hungariam, ità Auſtriam, ità orbem implêſti Chriſtianum, ut nihil occurrat optatiùs, quod liceat precari ab Optimis, à Maximis ſperare. Quidquid igitur in lucem publicam, cum hac CORONA CHRISTIANITATIS deducimus, Tuum eſſe, Tuis ſerenatum Splendoribus, Tuæ non diſpar Magnitudini agnoſce. Quòd verò argumenti Majeſtatem humilioris ſtyli non attingant conamina; hoc noſtrum eſt, hoc noſtræ indicium tenuitatis. Si tamen huic etiam patientem oculum & animum non denegaveris, provolutum eriges Suadæ obſequium, & novo Benevolentiæ prodigio palàm facies,

nihil Tibi tam humile occurrere potuisse, quod non attolleres. Ita ominatur & sperat

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS TUÆ

Devotissimum
&
Subjectissimum

Collegium Varsaviense
Societatis JESU.

HOC demum ad primam summamq; Orthodoxi orbis felicitatem expectabatur, ut illud sibi orbata Principe Polonia provideret Caput, quod libero unius gentis coronatum suffragio, totius coronaret Christianitatis vota. REX SERENISSIME. Hoc demum est, quod populorum desideria, quod Ecclesiæ suffragia, imò quod Cœlitûm in terras optabat favor; ut suam solatura orbitatem Sarmatia, ipsius quoqve Religionis lacrymas detergeret, tot inter bellorum ignes, fumantis Europæ malis excussas. Meliorem hæc per hiantia Provinciarum vulnera prospectabat Fortunam, quæ vel profusi de sanguinis Erythræo emergeret sereniùs; vel mortibus hostium animata spiraret gloriosiùs. Sed clade,

non ſemel cumulata cladibus, terrore hoſtium nonniſi per fata Civium imminuto, nulla vidit, niſi lacrymis reſperſa ſolatia; nulla gaudia, nisi funere cruentata. Una tandem illuxit hora, quâ Tibi Coronam, Chriſtiano Orbi votorum coronidem datura Lechia, ſibi Principem Optatiſſimum, Eccleſiæ Defenſorem Invictiſſimum delegit. Non unius tunc Sarmatiæ, ſed orbis pænè totius Europæi vota in Campum Electoralem confluxerunt, ut omnium tenereris affectibus, qui corda omnium rapuiſti. Dicam amplius! Ipſos pro Te ſuffragari Cœlites non vanè credidimus, quando ignotus adhuc, ore omnium ferebaris optimus, tantusq; cenſebaris, qui corda ſimul & thronum gentis liberæ occupaturus, totius etiam Chriſtianitatis vota implere poſſis. Et certè! quem illa Antemurali ſuo poſt fata JOANNIS Magni Propugnatorem, niſi Maximum? quem Nomini Gratioſo ac Fortunato, niſi AUGUSTUM & Secundum? quem Atlanti Chriſtiano, nisi Herculem

culem Orthodoxum Successorem optaret? Multa sibi, non pauca Lechiæ, Religioni plurima vovebant omnes. Tu PRINCEPS FORTUNATISSIME suffecisti unus omnibus. Te sceptris Polonis admoto, anhela omnium desideria, quieverunt. Nimirum, non Ceris tantùm Avitis Coronam præfers. In mores quoqve Regios hanc transtulisti, ut spes amplissimas populorum, non minùs genere, virtute & rebus gloriosè gestis, quàm nomine AUGUSTUS coronares.

Non imus externa per omina, quem Te daturus sis singulis? quos de Te facturus sis omnes? vestigaturi. Jam suam agnoscit felicitatem Orthodoxa Religio, quam vix sperare potuisset; jam tenet votorum summam Polonia, quam multo virium laborumq; impendio colligendam crediderat; jam tanto de Principe gaudemus omnes, qui summa de fortuna, nihil sibi vult reliqvum, præter unam servandi omnes, ornandiqve facultatem. Recessisti à Patriis Saxoniæ ritibus, ut Tibi

pro-

propiùs, Cœloq; accederes; quid optet fortunatiùs Ecclesia? Amorem Lechiæ unà cum Regio paludamento induisti, ut palam faceres, quo loco eam habeas, quam pectori admovisti; quid petat optatiùs Sarmatia? Omnem propè Majestatem exuisti Princeps, nè vel invitus quidpiam ingereres, quod populi arceret amorem; quid ultra desideremus? Jactitet jam Patrem Patriæ in Augusto, Delicias orbis in Vespasiano, Felicitatem in Sylla, Magnitudinem in Pompejo, Pietatem in Antonino, Probitatem in Probo; alia commendet in aliis, tot, imò pluribus infortuniis, quàm collibus, innixa Roma! Tuarum non brevis hæc erit laudum summa, nihil à Te desiderari potuisse.

Si Generis Aviti nobilitatem petimus;

Claud. de laud. Serenæ Reg.

Quis venerabilior sanguis? quæ major origo,
Quam Regalis erit? non Te privata dederunt
Limina, nec tantum poterat contingere Nomen
Angustis laribus.

Illa PRINCEPS prodiisti Domo, quam nemo habitavit, nisi Maximus; implevit nemo, nisi summus. Si Morum optamus

mus innocentiam Comitate magis, quàm Majestate gravem; illa nobis facilitatis Regiæ occurrunt prodigia, quæ vidisse, nec amâsse, piaculum est. Si strictam hostibus, apertam Civibus precamur Dexteram;

-- -- -- *Tua copia vincit*
Fontem Hermi, tactumq; Mydæ, pluviasq; Tonantis: Claud. de laud. Stil. l. 3.
Obscurat veteres, obscurabitq; futuros
Par donis armisq; manus.

Si purpurâ ostroq; dignas Virtutes vestigamus; illas, latere quamvis ex raræ demissionis arbitrio cupias, ubiqve prodis; hoc maximè, non tamen in publicum, reus, quod Tuum sub Murice circumferas Proditorem. Si demum Religionis ac Patriæ felicitatem quærimus; tanta jam, sub primum Regni auspicium, utriusqve dedisti incrementa, quanta optare magis licuit, quàm sperare; aut si sperare potuimus, nonnisi à Te debuimus.

Patere nihilominùs REX OPTATISSIME, ab hisce Dotibus ad Serenissimos Majores Tuos nostra tantisper ascendere Majores Serenissimi Regis.

gaudia, ut Tuos posthac splendores metiamur rectiùs, cùm tantos præcessisse Tibi Soles viderimus. Tres & vicenos, quà sacrâ, quà sæculari insignes Purpurâ, Romano Imperio Electores dedit Saxonia; non parva utiqve Nomina, à quibus Magnitudinem suam mutuari, vel Augustissimis non indecorum. Octo Archi-Præsuleis, sex supra denos Pontificiis splendoribus Serenissimos numeravit Soles Ecclesia; grandia omninò Lumina, quæ ipsi Justitiæ Soli, multorum in animis obscurato, pleniorem dedêre lucem. Quis porro Ducum & Marchionum? quis Principum, Abbatum, Comitum & Landgraviorum inire velit numerum? Fatisceret levis calamus, sub tot tantorumq; Nominum pondere: erubesceret tot inter Purpuras rudioris Minervæ labor: ipsæ quoqve vanescerent in tanta luce literarum umbræ. Non tamen hos intra titulorum apices Saxonica stetit Amplitudo. Ad Regum regnorumq; fastigia provolabis Calame, ut coronatam ibi Magnitudinē

meti-

metiâre. Ansericum Primum Saxoniæ Regem, gentiles adhuc inter umbras, Serenissimum recole; quotvè Luminum succedaneorum fulgoribus diadema patrium illustrârit, recense. Natales hic ante Christi cunas, haud paucis exortus lustris, non interrupta Nepotum serie, novis semper nativi soli soliiqve coronam ornavit splendoribus; donec in Vitigindo respiraturus, Ducalem Trabeam præferret Regiæ, Imperatorio murice non multò post tingendam. Fallax videlicet, & raro sibi diu similis fortunæ favor, hic etiam ludere constituit, ubi solus pro gloria certabat labor. Aurum illud coronarium Principis ut infringeret, ad ferreum Magni Caroli allisit Martem. Cedere debuit armatis manibus honoraria frontis Tænia. Vicenis & ampliùs fatigatam præliis, Regali cum titulo, dedit dexteram Vitigindus, tum demum gloriosiùs imperaturus, cùm fracto ad inconcussam Ecclesiæ Christianæ Petram Gentili sceptro, servire Veritati didicisset.

Vixit hic circa Annum Mundi 3870.

Reges Saxoniæ ad Vitigindum I. ab Anserico numerantur 24.

Cum Carolo Magno 24 præliis conflixit Vitigindus. Ex Archivo Genealogico Domûs Saxonicæ, impresso Anno 1697.

Quan-

Saxoniæ Converſio ad Chriſtianam fidē.

Quantis tunc orbem prodigiis, Eccleſiam gaudiis, Chriſtiana Regna plauſibus, unius implevit Saxoniæ felicitas! Ad cœlos imò Cœliteſq́ve, non minimam lætitiæ partem pertigiſſe arbitror; quando calcatos per inanium Deorum faſtus, attritum per cæcæ Gentilitatis verticem, depreſſum per Ethnici erroris caput, vim longè gratiſſimam illaturus Superis de fonte myſtico aſcendit Dux Orthodoxus. Pudebat jam Fortunam immiſſæ in Saxones infelicitatis, quæ tantæ viã proſperitati aperuit. Feliciùs nempè favere non potuit, quàm Regni Gentilis felicitatem invidendo.

Cœlum interim tàm rei Chriſtianæ, quàm Saxoniæ, nova melioraq; diſponebat gaudia. Protrudebat hæc antea in tenebras priùs, quàm in lucem, Purpuratam quoq́; Principum Sobolem, quando apertæ ſub diem Veritatis, ignorantiæ amabat caliginem, eò magis infelix nomine, quòd ſuæ cæcitatis damna non ſentiret. At ubi oblitam errorum pulvere,

ſalutis

ſalutis æviternæ fonte pupillam abluit, non lucis ſolùm, ſed Honoris etiam Augusti aſpexit meridiem. Tertium duntaxat à Vitigindo Nepotem Chriſtianis imbutum ſacris vidit Germania; cùm ſortis invidiam correctura, Saxonici pro Regni titulis, ampliſſimos illi Romani Imperii Faſces deſignavit. Non vulgaris hæc præda fuit, quam ſylvas oberranti HENRICO Aucupi boni Superi deſtinârunt, ad poſteros etiam OTHONES, HENRICOS & LOTHARIOS provehendam. An enim ſibi tantùm fuiſſe pium credamus Vitigindum? Eodem fonte, quo ſuam initiatus cœlo ſalutem hauſit, orbi gaudia, Chriſtianitati ſolatia, Imperio decora, Eccleſiæ columina, titulos Nepotibus, cœlis incolas, terris Indigetes ac Tutelares derivavit. Hinc illos OTHONES rerum geſtarum gloriâ Nomineqve MAGNOS evexit Imperium; hinc ſummum in terris CHRISTI Vicarium GREGORIUM V. aſſumpſit Eccleſia; hinc Divos BRUNONEM Anti-

Imperatores 6 ex Familia Saxonica, ut teſtatur Antonius Albizius in Principum Chriſtianorum Stemmatibus.

Gregorius Papa V. è Familia Saxonica.

C ſtitem

Sancti ex eadem Familia.

Henricus II. Hungaros ad fidẽ Christianã incitavit, Sorore Stephano Regi desponsata. Author id.

ſtitem Auguſtanum, BONIFACIUM Archiepiſcopum Ruſſiæ, OTHONIS III. cognatum, & integerrimum KUNEGUNDIS caſtæ Conjugem HENRICUM II. Imperatorem ſortiti ſunt cœli; hinc primum Religionis Chriſtianæ auſpicium Hungariæ, tutela Romæ, opes Eccleſiis, ſplendores Templis, dotes ampliſſimæ Cœnobiis emerſerunt. Fons hic in Tuo Vertice AUGUSTE PRINCEPS etiamnum coronatur à Polonia, quæ ſuum OTHONI III. Saxonici Sanguinis Imperatori Diadema debet.

Sed en! occulta fatorum ſeries tot ſæculis involuta, nunc primùm evolvitur. Illa REX SERENISSIME Majorum Tuorum manibus illata Corona Sarmatiæ, Tuo jam deſtinabatur Capiti, cùm Primo Poloniarum Regi BOLESLAO incumberet. Parum etenim felicitati noſtræ proſpectum voluiſſent Cœlites; niſi hanc de Te bene merendi facultatem Lechiæ providiſſent. Suos redeunt ad fontes flumina; ad Solem recurrunt Sidera;

coelo-

cœlorum orbes, cùm terram omnem perlustrârunt, ad cursûs sui exordia revertuntur. Idem erat Poloniæ reliqvum; ut variis domi forisqve natorum Principum Familiis oblatum Diadema, illi tandem inferretur Prosapiæ, quâ primùm prodiisse visum. Reddit itaq; vices Saxoniæ, cùm Tuis à Prædecessoribus acceptum Majestatis Decus, multâ gloriæ accessione clarius, refert dicatqve. Ut verò magnorum OTHONIS passuum, quibus olim hanc ipsam petiit Sarmatiam, recens legas vestigium, intentum curis severioribus animum tantisper concede Musæ.

Panegyris Lyrica Othonis III. Imp. qui Coronam Poloniæ contulit.

Liquesce crudi semita marmoris
Horrentis inter culmina Carpati,
Truciq; duratum palæstra
Ingenium silicis refinge!
Hîc ille multis dives adoreis,
Centumq; latè clarus honoribus
Post Martialis signa dextræ
Ausonijs inarata campis,
Post bella bellis pulsa, volubilis
Post damna sortis cæde rebellium
Pensata, post terras trophæis,
Laude vias, titulisq; mille

Cinctas

Cinctas Curules, Sarmatiæ jubar
Novum daturus transiit aureis
Famæ lacertis, gloriæq;
Ponè latus simul excubantis

Innixus armis! Hîc OTHO Norici
Caput Senatûs, Arbiter Imperî,
Decusq; Rhæti, præliares
Non humili pede pressit oras.

Stetêre fixis tunc juga rupibus;
Circum paventes alnus inhorruit
Depexa crines; provolutos
Attoniti stupuêre colles

Juxta corymbos. Laurus Hymettio
Perfusa succo deflua subdidit
Tunc colla Majestati, odoras
Frontis opes Paphiæq; prono

Myrti litârunt vertice, & ebrios
Miti Falerno sternere pampinos
Gavisa vitis, purpuratos
Imperij coluit jugales.

Quin & patentes Lechia nobilis
Implere campos, munera prodigo
Urgere censu, per jacentes
Usq; vias Tyrio probatas

Ardore lanas sternere; plausibus,
Lætoq; mixtis murmure cantibus
Fervere, vicinosq; linguæ
Obsequijs animare saltus.

Nempe

Nempe ille Rheni, Danubij & vagas
Qui stringit iras; aurea Rhætiæ
Qui frena tendit, provehitq;
Hercyniæ per opaca sylvæ,
Ille advolutæ Dux Alemanniæ,
Corona Regum, Gloria Cæsarum,
Bellisq; palmisq; eruditæ
Sarmatiæ diadema & æquæ
Sceptri daturus jura, silentibus
Arctata fibris gaudia solverat,
Ceu quondam anhelos solvit Arcis
Æoliæ Pater inquilinos.
Liquesce marmor! mollibus imprimat
Ut dextra venis gaudia Lechiæ,
Serisq; det sæclis legenda
Saxonicæ monumenta Gentis,
Donec micantem terra det Hesperum,
Fruges Olympus, mellea Trinacris
Et dona perdat Hybla, & omni
Oceanus viduetur unda.

Vide jam PRINCEPS GLORIOSISSIME, ut vivæ semel impressa memoriæ, immortalia OTHONIS III. Decora, nullis velit sæculorum injuriis obliterari Polonia. Cætera Virtutum, gestorum meritorumq; prodigia, Tuorum patrata Majorum manibus, qui velit complecti, Tuam, si potest, Magnitudinem metiatur.

Mihi

Mihi certè non possunt videri coliq; non Maximi, qui Tibi Regiam ad Sceptra & Coronas stravêre viam.

Quanquam, non alienis ad culmen Regale passibus eluctandum Tibi fuit. Solo tempore Majores Tui Te præcessêrunt; quos Tuæ Majestas gloriæ, si fortè stetissent inglorii, provexisset. Nimirum non primi sunt hi, quos facis, ad laudis perennitatem passus. Inerat Tibi

Ætas prima Serenissimi Regis.

--- --- --- mens ardua semper
A puero, tenerisq; etiam fulgebat in annis
Fortunæ majoris Honos.

Claud. de laud. Stilic. lib. 1.

Tunc jam adultum gloriæ tenebas meridiem, cùm tantùm oriebâre; vix primam ingressus lucem, jam Maximorum auspiciis Luminum Serenissimus. Tunc jam salutem Christianitatis universæ Te loqui credebamus, cùm adhuc per leges infantiæ deessent verba.

Idem ibid.

Tunc jam conspicuus, jam tunc venerabilis ibas,
Spondebatq; Ducem celsi nitor igneus oris,

cùm necdum gressus corporis firmare per ætatem licuisset. Rara est prorsus naturæ felicitas, in ipso rerum tyrocinio,

opus

opus absolvere; rara operis consummati conditio, à minimis auspicia non sumpsisse. Speciosa quin imò exordia, pudendos non rarò exitus sortiuntur. Illa sæpenumerò dies, cui serenior arrisit Phosphorus, pluviis ab Hespero ploratur lacrymis. Sæpè, quæ triumphales in ramos pullulatura videbatur arbos, in crucem feralē abiit. Quæ purpuræ pretiosum stamen ordiri byssus dicebatur, aut vitam elisit Domini, aut funus adornavit. At Tuæ Serenitatis primordia nullum unquam temeravit crepusculum: accensum semel ab ortu diem, nè brevis quidem umbra obscuravit. Adhuc enim acceptam cum fasciis renidentibus Innocentiam morum non posuisti; adhuc haustum cum lacte Candorem in frontis sereno prodis: Gigas ille à cunis Animus adhuc eminet, vel inter Maximos.

Vernantem ætatis floridæ ingressus Majum, cùm fructus jam dares pro floribus, incertum reliquisti, quid Tibi precari possent populi? quid deberent? Disside- *Juventutis studia.*

bant

bant paſſim bene precantium animi, diſcrepabant vota, deſtinatis ad Superos ſuffragiis, quod exorarent, occurrebat nihil. Solos tandem, ut pluribus prodesſes, deſiderârunt annos: unius tantùm ætatis incrementa robuſtis jam Dotibus optare potuerunt. Creſcente ergo cum annis Tuis ſpe publica, ut exteris quoq́ve Solibus ætatis illius exhiberes prodigia, Bataviam primùm, tum Galliam, Hiſpaniam & Luſitaniam peragrâſti. Rara tamen inter illarum regionum miracula, nihil unquam occurrit majus meliusq́ve Te ipſo. Alias ubiq́; gentes, ritus alios & mores diverſos populorum, alios etiam ubiq́; cœlos deprehendiſti; Te ipſum nuſquam alium, nunquam non eundem, AUGUSTUM ſemper inveniſti. Quod Sol relictis quaquaverſus Virtutis ſuæ veſtigiis, nullam à terris labem contrahat: laudabas Aſtrorum Principis ingenium, Tuosq́ve ſimul in mores trahebas exemplum; quando impreſsâ ubiq́ve magnorum Decorum memoria, nec minimum

Sere-

Serenitati Tuæ nævum inſperſiſti. Idem omninò ab ultimis Heſperiæ finibus ad ſolum patrium remeâſti, non ſolus tamen. Comes enim individua Te duxit omnium admiratio, præceſſit Fama, ſequaces ubiq; laudes honorariæ virtutum pompæ claudebant agmen. Una fuit vox omnium, Te univerſæ quondam CHRISTIANITATIS CORONAM futurum, terris quàm plurimis inferri debuiſſe, ut primæ mirarentur juventæ Decora, quæ jam adulta colere aliquando oporteret.

Et jam aperta Bellonæ Palæſtra ampliſſimum Gloriæ campum Fortitudini Tuæ offerebat. Achillem Te novum, Chiron Tuus Sereniſſimus Genitor JOANNES GEORGIUS III. ad Rheni præterfluentis littora evocabat, ut primum Virtutis Heroicæ imprimeres in illa arena vestigium, pronis fluctibus ad ſæculorum memoriam provehendum. Impari adhuc Martiis ſudoribus ætati Tuæ timuiſſent omnes, niſi major annis adoleſcen-

Expeditio bellica Anno 1689. Anno ætatis 19.

tiæ animus ſpem de Te maximam fecisſet. Tunc orbi univerſo patuit, Ducales inter Saxoniæ faſcias, immaturas licet ætate animas, maturas jam gloriæ educari; dùm uno primoq́; paſſu facto, cum Sereniſſimis Imperii Aquilis, Moguntiam Germaniæ, Germaniam ſecuritati, ſecuritatem omnibus, Tibi nominis immortalitatem vendicâſti. Coronâſti jam eo rerum momento Familiæ, patriæq́ve vota, cùm primo militiæ Tuæ rudimento, alienis etiam à finibus arceres metum, & geſtis ſine diſcrimine præliis, pericula hoſtium ſecuritate Tua geminares. Tenuiſſet Te, credo, recenti lauro palmisq́ve cinctum, ſuo commodo & gloriæ Germania; nisì collecta Chriſtianitatis deſideria, Te ſibi vendicato, ampliorem bene merendi campum de univerſa Chriſtianitate, in Hungaria deſignâſſent. Mœrens ibi pallensq́ve, ſanguineos inter Danubii fluctꝰ, Religio, vindicem à Te poſcebat Dexteram, quâ frenos Othomanicæ poſiturus ferociæ, Pietatis ſimul Orthodoxæ vota,

coro-

coronares. Nec diu publicam promiſſis expectationem morabaris. Ut primùm, poſt gemina Parentis Fratriſq; Sereniſſimi funera, pullam Electorali Purpura commutâſti togam; pedem Hungariæ ſimul & meliorem ſpem intuliſti.

Quàm lentis plerumq; paſſibus aliena veſtigantur commoda, ſi calcar privatus non addat amor. Diu momenta rerum expenduntur, viarum examinantur diſcrimina, laborum librantur pondera; merces quæritur ante meritum, ante certamen corona. Diu deliberandum dicitur, ut citò fiat; optimo ſanè conſilio, ſi facti, non lucri, ratio moras illas expoſceret. Signa quidem attolluntur & Aquilæ; at, niſi locupletis ſpei aſpiret Favonius, languent in aëre: aut, ſi languoris tam aperti ſuppuduit, lentis fluctibus, non celerem ad ſuppetias, ſed pavidum ad pericula teſtantur animum. Scutis ac parmis Leones inſeruntur, leporinum ut pectus muniant: truces exuviæ Pardorum, imbelles lacertos ambiunt, ut oculos *Expeditio prima in Hungariã Anno 1695*

los

los ſaltem hoſtiles capiant, dum manus laceſſere formidant.

Aliis Te paſsibus ad orbis Chriſtiani commoda properantem vidit ſtupuitqve Pannonia PRINCEPS BELLICOSISSIME. Periculorum non levium copia Tuæ fuit celeritatis illicium: nec moram à ferro patiebâre; quòd ſolam hoc premi teneriq; ſcires deſidiam. Eo vultu, eo animo imminentibus paſsim occurrebas laboribus, quo blandam alii quietem expetunt. Ipſa laceſſere videbaris pericula, & quandam iis exprobrare ignaviam, dum Tua vererentur congredi cum Fortitudine. Satis ad Nominis perennitatem fuiſſet aliis, numeroſas ad bellum ſociale copias deſtinâſſe; Tibi Duces lectiſſimos fortisſimosq; validæ manui addidiſſe fuiſſet parum, niſi ipſos ad diſcrimina Duces præiviſſes, iisqve intereſſe voluiſſes præliis, quæ alii nec audiant ſine horrore. Tantùm nihilominùs à caſu aberas, quantùm immortalia in rem Chriſtianam Tua merita diſtabant ab humanis. Difficilis

etiam

etiam belli alea, Tibi ludus erat; cujus exitum Occidentis Orthodoxi plausus, Orientis concussi planctus sequebantur. Universis Exercitibus LEOPOLDI Augusti suffragio, omnium voto, præfectus Imperator, fatis etiam imperare videbaris, cùm nihil Tibi, licèt arduum, offerre possent non vincendum. Hinc potentissimus alioqui barbarorum furor debuit mitescere, ut palmas non nisi occulto suffurari tramite constituerit, quas aperto Marte mereri non audebat. Imaginariam is instruebat aciem, ut illâ Tuam distineret Vigilantiam. Astu interea callidissimo petebat Transylvaniam, de qua nè cogitari simulabat. Argum fefellisset centoculum Othomanicus Sinon: Tuas fallere curas non potuit. Sic omnem armato Veteratori aditum præstruxisti, ut sola ad exitium pateret via. Sed hanc, ceu duram, innutritus deliciis calcare noluit Othomanus. Commodiorem itaq; nocendi vestigaturus occasionem, pedem extulit Hungariâ, hoc tantùm felix nomine,

 mine,

mine, quòd Tuæ cedendum Magnitudini ex æquo judicâret.

At Tibi, PRINCEPS VIGILANTISSIME, oculis tantùm, non mente excesſerunt barbari. Maximo ſemper infamem Orientis luem, ut plecteres, ſequebaris animo; locumq́; vulneri deſignabas, quo totam cum ſanguine ferociam effunderet. Otium militi, quietem excubiis, fortitudini emeritæ dabas præmia: uni Tibi indulgere non potuiſti. Omnes Bellonæ ardores cùm hybernus reſtrinxiſſet rigor, calores in Te Martios non imminuit. Contractiores illi expirantis anni dies, integra Tibi videbantur ſæcula. Imò jam parum abfuit, ut Solis cœliq́ve damnares invidiam, quòd Tua ſpe tardiùs votisq́; volveretur. Solvi quantocyus glaciei vincula optabas Danubio, ut Tuæ faciliùs deferret laudi materiem. Suum campis honorem, virorem ſylvis, aëri clementiam & agris ubertatem reddi cupiebas, ut Tuæ Fortitudini ſuccumberent barbari, non aëris terræq́; injuriis.

Tan-

Tandem cùm anni reflorescęret hilaritas; nova Christianitati solatia, cladem Turciæ suscitaturus, arenam iterum petiisti. Atq; ut bella non repulsurum, sed illaturum Te commonstrares, munitissimis Temesvari mœnibus latentem quæsiisti hostem. Nimirum vallis jam & paludibus, muris & fossis altissimis egebat fœdifragus, ut Tuam in vincendo celeritatem moraretur. Nihil tamen Tuæ obstitisse credimus victoriæ, præterquam quòd clausæ in Urbis carcere vincenda offerretur barbaries. Oderas scilicet ignava prælia, in quibus fortiter agere hosti non liceat. Illam tantummodò destinari Tibi optabas lauream, quæ aperto prognata campo, victore gladio meteretur; ut seris innotesceret ætatibus, Te non tam Urbium, quàm hostium excidia quæsiisse. *Altera expeditio Anno 1696.*

Excepit benignior hæc vota polus. Vix Temesvaro ferales ignes accenderas: cùm celeri edoceris nuntio, innumeras Othomanorum copias, ipso Sultano Duce,

ce,

ce, coactas, ad orbis Orthodoxi, an suam? properare cladem. Quis Tibi tum animus? quàm rarus bellandi ardor? quàm spes indubitata victoriæ? cogitare facilius est, quàm enarrare. Extinxisti quàm primùm destinatum Urbi incendium, ut Martialem in barbaros iram accenderes. Pedem à propugnaculo Sultanum versùs retraxisti, ut non oblatam, sed quæsitam bene merendi de nobis occasionem arriperes. Illud celerem magis, magisq; incitavit animum, quòd summus Orientis barbari Imperator, rarò ante in Pannonia visus, Tuæ cessurus Magnitudini advenisset. Non immeritam tunc in solicitudinem, maximorum etiam abiisset Bellatorum fiducia, quando vel terram tremere necesse fuit sub hostium ferocissimorum multitudine. Tibi tamen securitatem auxit illa ferocia, victoriæ certitudinem multitudo.

Ut primùm in conspectum, furore magìs, quàm ferro armatorum venisti; toto in Te Tuosq; impetu effusi, cadendo

etiam

etiam nitebantur opprimere, quos pugnando non poterant. Et sanguinis & vitæ prodigis ipsa in suppetias desperatio adfuit, ut nihil jam illis formidabile crederes, quos mortis animabat vicinia. Cedere attamen, obstinata licèt, æquitati causæ debuit perfidia, cùm iterum, iterumq; Christianis armis repulsa, cruentis lacrymis flevit audaciam, nihil præter festinatum exitium ex mortis contemptu lucrata. Nec erat Othomano fastui quidquam reliqvum, nisì ut manum Victoris fugeret celeriùs, quàm antea invaserat. Sed instans à tergo Sultanus, precibus primùm & pretio, tum minis & ferro fugæ præclusit viam. Itum ergo reluctante jam passu iterum in aciem: at simul

-- -- -- trepido confusa tumultu Lucan. lib. 7.
Castra fremunt, animiq; truces sua pectora pulsant
Ictibus incertis. Multorum pallor in ore
Mortis venturæ, faciesq; simillima fato.

Inutile jam levatur ferrum, cùm animi cecidissent. Bellici jam frigent ignes, cùm præliandi ardor deferbuit. Verbo expe-

 diam.

Victoria memorabilis Serenissimi de Turcarum Imperatore inter Temesvarum & Segedinum in Hungaria Ao. 1696. d. 22. Aug.

diam. Hoſtis natali etiam ſolo graviſſimus; Provinciarum plurium, quàm alii capitum, Dominus; poſt tot regnorum, urbium & populorum excidia nulli non formidandus, deſideratis non paucis ſuorum millibus à fuga & nocte petiit præſidium, qui nè Superûm quidem eguiſſe ſubſidio videbatur.

Tuas hîc, PRINCEPS VICTORIOSISSIME, appello curas, Tua conſilia, Fortitudinem Tuam! Cui poſt Coeli Numinisq; favores, poſt feliciſſima LEOPOLDI Auſpicia, tam memorabilem cladem hoſtium, Chriſtianorum verò Exercituum victoriam debeamus? Si Tua fateri Modeſtia reluctatur, toto cantatam orbe Panegyrim, vel invitus, audi.

Adhucnè pigris vecta jugalibus
Faſtidioſas Fama trahis moras,
Lentoq; vocalem Sororis
Aoniæ cytharam morari
Pergis volatu? Diſcute langvidi
Obſcura ſomni jurgia! & æthéri
Immixta ſudo, perq; cœli
Perq; ſoli cava glorioſum

Diffun-

Diffunde carmen! Stravit, Io! Getas
AUGUSTUS, Io! quâ sociabili
Tibiscus undâ liberales
Danubij geminat procellas.

Attrita dextro Martis acinace
Post efferatæ cornua Daciæ,
Iras Gelonûm, Tauricanæ
Virus hydræ, furiasq; Thracum

Perfregit. Io! Quin Othomanici
Caput furoris, Bellua septiceps,
Prædo ille regnorum, ille terror
Hungariæ, Cilicumq; latro,

Terras triumphis, æquora plausibus
Mixtisq; tristi funere cladibus
Sultanus orbem pervagatus
Ore truci gemuisse visus.

Cùm pota Besso flumina sanguine,
Et sordidati Bistone vortices
Tabo, cruentis devoluta
Littoribus tumuêre ad arma,

Armisq; passim capta cadavera,
Ridentis inter Pannoniæ juga,
Ad usqve Byzantî liburnas
Purpureo pepulêre fluctu.

Cessêre Lunæ! barbara Concanis
Aurora fatis ingemuit! Geta
Fugæ impotentis exaratos
Tergoribus tulit ipse fastos!

At

At Tu sepultum sulphureis caput
AUGUSTE ab umbris effer, ut aureis
Latous emergit quadrigis
Oceano, revehitq; puræ
Frontis serenum! Jam Tibi fulgidam
Non indecoro sanguine purpuram
Bellona tinxit; jam calentem
Bistonio trabeam pudore,
Vittamq; tabo, & pulchrius aspici
Fœdo à Corali vulnere Gloria
Evolvit ostrum: nec perennes
Fama negat Tibi prona laudes.
Ibis regentis trans vada Nerei!
Trans & Canopi littora fervido
Adusta Phœbo, Tethyosq;
Regna leges pretiosa Victor.
Ut laureatus Phasidos Arbiter,
Colchi, & feroces Heniochi, graves
Et ære Marsi, Te superbo &
Bactra canant animosa cultu.

At minùs est immites barbarorum animos domuisse! Libertatem Polonæ gentis in Campis Electoralibus demeruisse, hæc demum gloriosissima Victoria, hoc decus immortale. Confluxerat in illud Avitæ Libertatis theatrum Elector Populus, daturus scenam, cujus exitum attonitus spectaret orbis. Coronarium Sarmaticæ

ticæ Majeſtatis Decus emerito deſtinabatur Capiti, ſuſpenſis Europæ animis & avidè, quem Honor is poſceret, explorantibus. Tu interim, REX SERENISSIME, nova cum hoſte meditatus prælia, nec ſpem, nec vota in Lechiam deſtinâſti. Coronare deſideria Eccleſiæ Pannonicis optabas laureis, non auro coronari. Sed aliter in fatis fuit! Ferro daturus Dexteram, Regale Sceptrum apprehendiſti; pro ſago militari Purpuram, pro caſside Coronam. Dignitatem priùs Regiam, quàm cogitationem de ambitu admiſiſti. Miram Numinis de Te, nobisq; ipſis, Providentiam tunc adoravimus, colimusqve adhuc. Eâdem horá, quâ Tui fama Nominis percrebuit, Te ſibi optavit Candidatum, Te dixit libertas Polona Regem. Non humanæ pro Te deſudârunt curæ. Ille tot millium Electorum corda, ille vota momento collegit, cui velle feciſſe eſt. Fortunæ aliquid, aut induſtriæ mortali debuiſſemus, ſi animos ſuffragantium demereri, ſi voces prævenire artibus, ſi li-

Electio Sereniſſimi in Regem Poloniæ die 27. Junij.

H bera

bera vota promiſſis ingentibus prævertere voluiſſes. At quia Religionis, non Majeſtatis Te cura occupavit, ſolis Tuam noſtramq́; felicitatem debemus Superis, qui pro Te tantò perorârunt ferventiùs, quantò faciliùs, eorum cauſam adverſus Othomanos acturus in Hungaria, Te Tibi, Tuamq́ve deeſſe cupiebas induſtriam. Projeciſti jam antea errores patrios, nè vera à patria aberrares; Romanis acceſſiſti ritibus, ne longiùs à fidei veritate abſcederes; Coronam à terris cùm nondum expectares, alteri, quæ ſupra terras eſt, aptabas Caput. Pulchrâ illâ Religionis mutatione, Religionem veram & Eccleſiam, Romam & Patrem Beatiſſimum beâſti iterum, quos Martia felicitate Tua non ſemel beaveras. Ut nova etiam Sarmatiæ provideres ſolatia, Diadema Tibi providerunt Cœlites, quo ejus & ſimul univerſæ Chriſtianitatis vota coronares. Quid Romæ? quid Orthodoxis Principibus? quid nomini Chriſtiano & noſtræ gloriæ deſtinârint Superi, ut primùm Te

ſuum

ſuum ſalutavit Principem Polonia, Spes publica non fictè enarravit.

Si qua fides Sipylo, petris ſi credere nomen
Immortale licet; nè muta oblivio noſtræ
Damnet lucra ſpei, Parijs inſcribite venis!
Jam croceis invecta rotis Pallantias auro
Accendit meliore diem; jam pallida mœſtæ
Purpureo extinxit Phœbus veſtigia noctis
Sidere, & illimi mera gaudia ſpargit ab ortu.
AUGUSTUS nova ſceptra capit; patriosq; pero-
Saxoniæ ritus, Romanis devovet Aris (ſus
Seq; ſuumq; gregem. Quid non Urbs alma Quirini,
Romulidûmq; Pater ſperet? num carmine lævo
Auſoniæ circum plangent ſua vota curules?
Alta Quirinales accendent lumina turres,
Tarpeji ſalient colles, Capitolia ſanctis
Fervebunt ſtudijs, pronum & per Tybridis æquor
Poſtremis cantanda dabunt ſolatia Iberis.
Nec ſua Sidonijs arctabunt gaudia vittis
Chriſtiadûm Reges. Per regna, per æquora & urbes,
Perq; plagas centum, per climata mille, volabunt
Cantibus immixti plauſus, qui ſidera metris,
Atq; coronatis pertingant aſtra triumphis.
Sanguineum hinc Error crinem depexus, amicis
Saxoniæ exactum terris per compita triſtis
Inſigni cum labe pedem feret; effera donec
Colla premant Superi, donec Pietasq; ſubactis
Urbibus imperium feſtino provehat axe.

Omen auſpicatum Chriſtianitati, ex Sereniſſimi electione.

At

At Tu millenis innixa Polonia palmis,
Bellonæ ſacrata Domus, dilecta Gradivi
Sedes, Heroum nutrix, mora certa Geloni
Plaude! nec obſcuris ſolatia differ in umbris.
Roma Tibi grates, laudes Alemannia, cultum
Heſperiæ ſolvent gentes. Te Rhenus & Iſther,
Te Rhodanus, Bœtisq́ʒ colet, Tibi Mœnus & acer
Moſa triumphales volvet cum plauſibus undas;
Aucta pio cùm Rege enſes & tela repoſces
Biſtonijs mergenda fibris, cùm ſigna citato
Evolves niſu, tremulisqʒ haſtilibus auras
Et cœli permenſa vias, ad prælia curres.
Plaude! Tibi cedet Threſsi fiducia Martis,
Threjicijq́ʒ canes ſecum defixa lacertis
Ad rapidum Phlegethonta ferent Tua ſpicula.
Plaude!

Virtutes Regiæ Sereniſſimi. Quid enim pio, quid forti, quid juſto & optimo, cœlitusq́; dato ſub Principe non ſperemus? Non Tibi, ut palam eſt, REX VIRTUOSISSIME coronam obtulimꝰ; at ſpei noſtræ, noſtris affectibus, deſideriis noſtris. Nihil à Te deſiderare poſſumus, quod antè liberaliùs non indulſeris; nihil à Superis precari licet, quod Tecum non contulerint. Pium optavimus Principem; Tu Pietati non vulgari Fortitudinem adjunxiſti Regiam. Pium, fortemq́; ſimul

ſimul petiimus; Tu raram inſuper Æquitatem Clementiæ ſociatam exhibes. Pium, juſtum, fortemq́; deſideravimus. Tu in Te das omnia. Adeò non tantùm votorum noſtrorum exæquas amplitudinem, ſed etiam excedis, & votis omnibus emines, ceu capiti Corona.

Imperium nonnullis, ceu ludos, auſpicari placuit. Quaſi nihil arduum adferre poſſet regnantium alea; temerariis abrepti affectibus, Pietatis omnem & cœli curam ablegârunt. Tibi à ſacris ordiri libuit, Divisq́; priùs Caput ſubmittere, quàm Coronæ. Neq́; conſilia, quibus intereſſe non poſſet Pietas; neq́ve oracula, quæ averſus à cœlo dictaret animus, admiſiſti. Totum illud, quod Regiæ inaugurationis anteceſſit ſolemnia, octiduum, non corporis pompæq́; ſtudium occupavit, ſed animi, cui gratas raraſq́; in Purpura lautitias, providit inedia. Sacris intereſſe crebriùs, æterno cultui favere impenſiùs, vota Divis cumulare frequentiùs, ipſamq́ve adeò velare Majeſtatem, ut fieret ſuppli- *Pietas admiranda.*

 canti

canti ſimilior, unicum fuit regnaturi ſolatium, cogitatio una. Profectò nunquam Cœlites ſuis libentiùs interfuiſſe victimis crediderim, quàm ubi tam auguſtam de Te ipſo dabas victimam. Clareſcere tunc ampliùs altarium ſplendores debuerunt, cùm ſupplicem Tuæ Purpuræ lucem affunderes. Dubium etiam & controverſum reliquiſti, ſuisnè magìs ignibus, an Tuæ fervore Pietatis, arderent luminaria? thura magìs, an precum ſanctarum fragrantia redoleret? Non verba, ſed ardentiſſima fundebas jacula, quibus cor Dei vulnerabas, ut publicis Eccleſiæ regniq; malis medelam dares. Nec puduit deſtinatum Regali auro verticem, coronæ publicè ſupplicantium immiſcuiſſe. Unum etenim ibi Principem eſſe memineras, omnes ſupplices; nec bene terrenam Majeſtatem clareſcere didiceras, ubi Deus latere vult ſuam.

Munificentia profuſa.

Tantæ nihilominùs tamq; eximiæ Pietati ſuccenſeres adhuc PRINCEPS RELIGIOSISSIME, ſi tantùm in Superos

fores

fores pius. Mortales etiam demereri voluisti animos, cùm immortales jam Tuos effeceris. Collectanea, si non congenita Tibi, in egenos Munificentia, nunquam se egenam æstimat, nisì dum, quibus succurrat, non videt. Effusis largiore dextera thesauris, adhuc dives est: inopiam omnium cùm impleverit, non eget. Nec preces expetit, nec querelas expectat. Audiisse necessitatis alienæ incommoda, Liberalitati Regiæ idem est, quod aliis obtestationes maximas excepisse. Diem, qui Tuas ignoret Gratias, Tuorum è numero dierum excipis. Vitæ imò tempora beneficiis Tibi distinguere placuit, non momentis. Nimirum,

Non ut Edonis peritura campis
Candidâ incumbit faciliq; solvi,
Cùm sitibundus populatur Auster,
Mole pruina:
Non ut enatis subitò fluentis
Torrida Oenotri tumuêre regna,
Quæ tenebrosis iterum resorbet
Terra cavernis:
Verùm ut æterno lavat amne Ganges
Littus auratum, neq; damna fulvi

Sentit

Sentit obryzi; pretiosa latè
Munera spargis.
Jam Tuo circum redimita censu
Aureum Phœbi jubar æmulantur
Tecta Divorum, variæq; temnunt
Lumina Phœbes:
Jam serenatæ Pietatis Arces
Squalidum absterſæ poſuêre limum,
Et salebroſas nitido piârunt
Marmore rimas:
Mille jam Codris pia sors beatos
Depluit nimbos, riguoq; priſci
Rore Saturni rediviva paſſim
Sæcla reduxit:
Crescit, & fuso tamen undat auro
Prodigus Gangis ſinus, evoluti
Oſtijs centum neq; pertimeſcit
Damna metalli.
Regna quis parvi Jovis inquieto
Nunc vocet queſtu, cerebroq; natæ
Poſcat immani pretio rigentes
Palladis imbres?
Aurei Tecum rediêre PRINCEPS
Sæculi venæ; populi & renatos
Lechiæ gaudent remeâſſe puris
Fontibus annos.

Comitas eximia. Liberalitatem Regiam Comitatis inſolitæ gratiâ coronas PRINCIPUM Humaniſſime. Fortunas ampliſſimas cùm indies

dies largiaris egentibus, Te ipſum in beneficentiæ Regalis auctarium omnibus profundere non abnuis. Nihil auguſtis eluceſcit in Moribus, quod vel intentam Majeſtati pupillam terreat, vel reverentisſimos amores impediat. Timorem ùt plurimùm Regis nomen devotis ſubditorum animis inſinuat: Tu nomen hoc, quò ſuaviùs illaberetur auribus, & mentem occuparet faciliùs, humaniſſimis temperâſti Gratiis, ut neq; imperare volueris, nisì volentibus, neq; Rex eſſe, nisì à metu liberorum. Coronata illa monſtra Cæſarum, Nerones & Caligulæ, ut regerent, an premerent? tutiùs, belluis præeſſe voluerunt, non hominibus, quaſi plus foret gloriæ, illigatos timoris freno ducere, quàm liberos ad nutum vocare mortales. Tu Regni Sarmatici GRATIANE, quæ Metus & Pallor extorſit, averſaris obſequia, Tuosqve non credis, quos Timor occupavit. Libertati plùs noſtræ, quàm Tuæ Majeſtati proſpicis, cùm iſtam bonitate contegis, nè vel aſpectu non

gratissimo lædatur illa. Quàm illustris sit Tuæ laus Benevolentiæ, Tuorum consule morum speculum, Tui perspice in vultûs sereno. Publicâ jam Famâ constat, non adscititiam Tibi famulari, sed in naturam transiisse Comitatem. Proinde

Nec fati, neq; livida
Umbrosæ querulis jura Proserpinæ
Incusare libet metris;
Aut raptas Lechiæ plangere GRATIAS
JOANNIS vacat: altior
Quando Sarmatiæ Phosphorus aureis
Effulsit penetralibus,
Deductasq; polo, non sinè fœnore
AUGUSTI Charites vehit.
Non hîc sanguineis imbribus horridam
Circum Gorgoneus Furor
Torquet Cæsariem: non temerarium
Depexæ caput anguibus
Squalent, aut Stygia torvæ Acherontides
Despumant rabiem face:
Sed flecti faciles undiq; Gratiæ
Aspirant melioribus
Illapsæ Zephyris; & nebulas procul
Aversata ferociæ
Gaudet perpetuis Regia Comitas
Se cinxisse favoribus.
Blandùm Cecropio verba fluunt thymo,

Desu-

Desudant roseis favi
Inspersi labijs: sub gelido Jove
Solaturq; feracibus
Algentes spolijs prodiga Suavitas.
Mendaci gremio datas
Quid fallax Charites fabula concinis?
Hîc & Pasitheæ rosa,
Et dos Euphrosinæ, & dona Aganippidum
Hîc vernant; ubi Regiæ
Spirant ore, manu & lumine Gratiæ.

Quid porro de aliis Magnæ mentis Virtutibus? Neqve vocare sub calculum innumeras, neq; metiri calamo fas est altissimas. Spem omnem tot tantorumqve Magnitudine Decorum postquam excessisti, conatus etiam Oratorii Tuam infrà Majestatem hærere debent. Maximus in Te amor Justitiæ, Clementiæ studium non minuit: flagrantissima in cœlum Pietas, ardores Martios non extinguit; rara in Principe fortuna Affabilitas Dignitati non officit: labores ardui Tolerantiam, summa Felicitas Modestiam, Fortitudinem Regiam pericula; ipsa temporum iniquitas intendit Virtutem. Pulchra sunt hæc Majestatis prodigia, quæ sæpiùs in- *Virtutes aliæ compendio propositæ.*

menti-

mentium coronatarum coelo optare licuit, quàm adorare. Illud tamen fidem excedit propè, quod extero ſub Jove natus, tantum Lechiæ Amorem ipſius intuleris, quantum patriæ laboranti vix Curtii impendant.

Status Patriæ ante Electionem Sereniſſimi.

Lugebamus per Fœderatæ militiæ vincula, diſtractum florentiſsimi Regni ordinem, ſolutam Reipublicæ unionem, & intima Poloniæ viſcera fœdis vulneribus lacerari dolebamus. Sciſſa vidimus Provinciarum ſtudia, Senatûs conſilia, Quiritum vota, vocesq́ve. Felicitatem patriam revocare, una mens fuit omnib9, at modus diſpar. Mederi malis non paucis placuit, at voluntati facultas non reſpondit. Tot inter boni publici detrimenta, gaudere meliori ſorte non licuit, vix imò ſperare licebat. Pleno jam alveo in Lechiam immigrabant pericula, cùm qui procellas excirent, infelices non deeſſent. Dei tandem, non humano, ſtetit conſilio, quòd Te inclinato Poloniæ polo Atlantem acceperimus, & ſpei pænè

nè perditæ Instauratorem. Felicem illam, & verè auream diei horam, quæ ferreis hisce temporibus Principem Aureum adoptavit, suisq; orbatæ solatiis patriæ Patrem!

Quis illo in rerum nostrarum turbine, nostra commoda, non lucra sua quæsiisset? quis nostræ inferri voluisset caligini, si facem propriæ utilitatis Amor non præferret? Tu Regum Optatissime, Tuis etiam dispendiis, felicem votis exitum, augustum spei nostræ terminum, emerito militi stipendia, securitatem civibus, regno tutelam, quodq; summum est, illibatum adeò Amorem Lechiæ uno Tecum intulisti, ut domesticæ oblitus felicitatis, nostræ non cupidus, nisi aucturus illam, adveneris. Ubicunq; Regium, vel primo ingressu Tuo fixisti pedem, non rosæ fallaces, at vera è vestigio faustitas pullulavit. Quâcunq; vultûs Augusti serenum explicas, novos ubiq; colores imprimis. Nullo adhuc fuisse loco diceris, quin prodesses. Sub adultæ jam messis

Amor Serenissimi in Lechiam, & boni publici cura.

L tem-

Circumstantiæ ingressûs Serenissimi in Poloniam.

tempora, votis publicis evocatus ad ſceptra, fines Poloniæ attigiſti, novam utiq; gaudiorum meſſem daturus omnibus, qui nè vitam quidem optaveris, nisì omnium utilitati conceſſam. Matura Urbibus & Provinciis ferebas ſolatia, Auguſtos omnes de Te facturus menſes, quibus plenam felicitatem metere liceat omnibus, vel invitis. Nimirum reluctantibus etiam, & ſuæ inimicis fortunæ animis, amicus eſt Favor Tuus. Ad Solis naturam evectus, nullâ poli Sarmatici regione oriebaris, quin etiã inaſſvetam luci publicæ illuſtrares pupillam. Regalẽ adhuc Purpuram non indueras, publici tamen amore boni pectus Regium incaleſcebat. Sceptris manus necdum admoveras, noſtra tamen tractabas commoda, fovebasqve. Quid, ubi Coronæ verticem, murici humeros ſubmiſiſti? Totius in Te Regni onera, cum diademate devolvi patiebâris, ut illo ſub cœlo nullus gemeret, Te Atlante; nemo pondus perſentiſceret, Te ſuccollante. Arſiſſe Coronato ſub vertice viſa

eſt

eſt Purpura, Amore magìs Civium, quàm oſtro nativo: ſceptra Tuis inſerta manibus, fortunam Patriæ, non faſtum fulciebant. Ita noſtræ devotus ſecuritati Princeps, ungi adhuc voluiſti, ut illo chriſmate, impreſſa Reipublicæ curares vulnera, dolorem temperares.

Diem conſule, quo Te ad gloriæ Regalis ſtadium perunxit Dominus! Ei ſacrum deprehendes Nomini, quod velut OLEUM in terras EFFUSUM, humanas lenit cicatrices, ſanatq́ve. In noſtra Te lucra AUGUSTE cum Nomine Auguſtiſſimo tunc effudiſti; mala quævis abolere, labem detergere, mergere pericula, ut purior ex fonte novo emergeret Fortuna, cæpiſti. Nec miror! Illius ſuavitate Nominis perungi magìs, quàm oleo, Te ſenſiſti. Hinc pleno in alios eandem alveo derivaturus, Tuarum auxiſti torrente Gratiarum. Unde jam læti plauſus Urbium, jam feſtæ, fauſtæq́; populorum comprecationes, jam omina fortunatiſſima, jam demùm ſolida ſinceraq́;

Circumſtantiæ Coronationis 15. Sept.

raq; gaudia promanárunt. Sterilem fortè ſolatiorum noſtrorum venam credidiſſemus, ſi tam fœcundo à fonte originem non duxiſſent: nunc poſtquam ſuum ibi ſumpſit auſpicium, ubi Virginis fœcundæ honos utilitati hominum accreſcit, tota in nos bonorum ubertas defluit, & nunquam exhauſtus fons gaudiorum aperitur. Tui iterum ad regni exordium reflecte animum! Lux eadem, quæ Othomanicam olim barbariem ſub Vienna protritam viderat, Te nuper ad Thronum Sarmatiæ provectum adoravit. Lux illa, quam Divæ Parentis Nomini, ob laureas Viennenſes, triumphalem dixit Eccleſia, Tibi etiam, inter Auguſtæ Coronationis ſolemnia, triumphum accendit. Tecum itaq; Eccleſia, Virgo Tecum Victorioſiſſima, & cum hac cœli in Lechia triumphârunt.

Tam rara triumphi Tui gloria, ut ſumma orbis Chriſtiani capita pertingeret, tam Sanguinis Affinitatisqve foedere, quàm meritorum Tuorum gratiâ devinctos

ctos Principes, habuiſti comites, REX SERENISSIME. Leones DANIÆ, Coronas SVECIÆ, BRANDEBURGICORUM Aquilas, SABAUDIÆ Cruces, ANGLIÆ, PALATINORUM PRINCIPUM, ANHALTINORUM, BRUNSVICENSIUM, MECHELBURGENSIUM, LUNEBURGENSIUM, HASSIÆ, THURINGIÆ, totoq; latè imperio diffuſa Decora, Avitis Saxoniæ Tæniis illigâſti. Altiora imò, ſi libeat revolvere ſæcula; fœderatam Sereniſſimis Majoribus Tuis, Veterum Orientis Imperatorum, ARRAGONIÆ, FRANCIÆ, NAVARRÆ & SICILIÆ Regum gloriam, hæreditario in Te jure, cum ſanguine derivatam, in Tui vocâſti ſocietatem triumphi. Nec Auguſtiſſimum Imperii Sidus, triumphali pompæ radios, quos Tu extincto non ità pridem in Hungaria Lunæ Turcicæ fulgore adauxeras, denegavit. Vicario Majeſtatis Suæ Lumine, feſtum fauſtumq; Inaugurationis Tuæ diem illuſtravit, omnesqve Ele-

ctorum Romani Imperii accendit Ceras, ut Tibi sceptra Poloniæ capessenti, amica luce affulgerent. Romana quin etiam interfuisse gaudia non vanè credimus, quæ Tu destinato nuper in Urbem submissionis filialis Nuntio, suaves inter lacrymarum imbres, ex innocentissimo INNOCENTII XII. pectore provocâsti. Uni Tecum Orientis barbari Tyranno triumphare non licuit, qui amisso ad Tibiscum Exercitûs numerosi flore, eodem propè tempore, ferales hilaritati suæ inferias dedit. Virent adhuc, & oculis animoq; obversantur recentes palmæ, quas Duce Fortissimo EUGENIO Sabaudiæ Principe, Cæsareæ copiæ, iisq; Saxonicæ militiæ robur sociatum promeruit. Maxima hæc post hominum memoriam, ac planè prodigiosa de hoste ferocissimo Victoria, quo usqve in viva posterorum memoria, cæsa Summorum Othomanæ Potentiæ Ductorum capita, deleta Janizarorum millia, occupatas castrorum opes, erepta Orientis signa, fugatas barbarorum

Recens de Turcis Victoria in Hungaria 11. Septemb. 1697.

rum

rum acies, ipsiusq; Sultani, suorum cladi ingemiscentis, suspiria recensebit, eousq; Saxonicæ simul Fortitudinis monumenta leget, palamq; orbi faciet; nec Regni Tui auspicia sinè clade Othomanorum, nec Marti Christiano triumphos, sinè Tuis suppetiis, obtigisse.

Si quis Castalidum rore beatior
Lustrabit Geticis ebria cædibus
Tibisci memoris littora, sanguine &
Tinctas Pannoniæ plagas:
Ille & Mœonij carmine barbiti,
Et Famæ volucris murmure, Bistone
Tabo Saxonici Martis adoreas
Depictas vehet altiùs.
Ridebit laceri livida Concani
Centum vulneribus tergora, & impigro
Iras edomitæ frontis in horrida
Calcabit pede Thracia.
Ibit Barbarici per vada Nerei
Circùm præpetibus vectus Etesiis,
Qua-se-cunq; vago clarus in essedo
Promit Phœbus ab æthere:
Unâ & belligeræ sceptra Poloniæ
Exornâsse manu, concinet; alterâ
AUGUSTUM referet cornua Turcicæ
Confregisse Ferociæ.

Et

Et hoc demum ad feliciſſimæ Coronationis Tuæ ſolemnia deſiderabatur, ut cæſi Orientis initiato Regi non deeſſent victimæ, & hoſtis Tuarum fractus copiarum ſuppetiis, ſanctiora inter libamina hoſtiam daret. Erige jam, Deo Auſpice, coronatum Verticem REX SERENISSIME, ſupra hoſtes, ſupra invidiam, ſupra fortunam, ſupra fatum! Coronâſti Eccleſiæ militantis vota, Chriſtianorum Principum deſideria exæquâſti, Poloniam Generis, Virtutum ac Meritorum gloriâ adornâſti, ſpem omnium & expectationem ſuperâſti. Tua tandem coronent deſideria Superi, exæquet felicitas, colant omnes, amentqve. Voluiſſe Te nihil unquam, nisì optimum; voviſſe Tibi nihil, nisì quod omnibus, nihil omnibus optâſſe Te, in aperto eſt, nisì quod ipſa optaret Pietas, Virtus peteret, ſi foret mortalis. Vive ætates omnium, qui bono omnium Te natum probas, nec Regno præeſſe voluiſti, nisì ut prodeſſes.

Occu-

Occupa Solium non Regni tantùm, verùm & cordium, hinc Civium affectibus, satis indè imperaturus. Hoc Regi à Deo dato, hoc Principi Gloriosissimo, hoc factis & Nomine AUGUSTO, Senatus, Quirites & populus vovet, hoc omnes precantur.

At minima JESU Societas, dum Regem alii Gloriosissimum, alii Principem Beneficentissimum, Patrem Patriæ Providentissimum in Te mirabuntur alii, simul omnia prædicabit. Augustos Natales illi, Regiam isti felicitatem, hi Tuæ Fortitudinis prodigia dum venerabuntur, hæc omnia adorabit. Illibatam Morum Innocentiam non pauci, liberalis dexteræ munificentiam plurimi, Comitatis raræ gratiam cùm omnes prædicabunt, hæc omnia extollet. Hinc Tibi non gloriam tantùm, aut victorias, non annos tantùm precatur immortales; sed omnia. Nec voces solùm aut vota, nec

ſtudia tantùm & amores, nec affectûs ſolos aut vitam obligat; ſed omnia. Seipſam demum, quanta quanta eſt, Honori Tuo, Majeſtati & Gloriæ devovet, & unà ſecum
univerſa.